

ad facultates rerum atque copias, ad opes, ad potentiam, quibus et se possint juvare, et suos, conducat id, necne, de quo deliberant. Quae deliberatio omnis in rationem utilitatis cadit. Tertium dubitandi genus est, quum pugnare videtur cum honesto id, quod videtur esse utile. Quum enim utilitas ad se rapere, honestas contra revocare ad se videtur, fit, ut distrahatur in deliberando animus, afferatque ancipitem curam cogitandi. Hac divisione, quum praeterire aliquid maximum vitium in dividendo sit, duo praetermissa sunt. Nec enim solum utrum honestum, an turpe sit, deliberari solet, sed etiam, duobus propositis honestis, utrum honestius: itemque duobus propositis utilibus, utrum utilius. Ita, quam ille triplicem putavit esse rationem, in quinque partes distribui debere reperitur. Primum est igitur de honesto, sed dupliciter; tum pari ratione de utili; post de comparatione eorum disserendum.

Tusc. II. 18. Appellata est ex viro virtus. Viri autem propria maxime est fortitudo, cujus munera duo maxima sunt, mortis dolorisque contemptio.

Leg. I. 8. Est virtus nihil aliud, quam in se perfecta et ad summum perducta natura.

Fin. V. 14. In homine summa omnis animi est, et in animo, rationis; ex qua virtus est, quae rationis absolutio definitur.

Rhet. II. 53, 54, vide supra.

Fin. II. 14. Honestum id intelligimus, quod tale est, ut detracta omni utilitate, sine aliis praemiis fructibusve per se ipsum possit jure laudari. Quod quale sit, non tam definitione, qua sum usus, intelligi potest (quamquam aliquantum potest), quam communi omnium judicio, et optimi cujusque studiis, atque factis: qui permulta ob eam causam unam faciunt, quia decet, quia rectum, quia honestum est; etsi nullum consecuturum emolumentum vident.